

in generali publicoque Christi Judicio . Atqui ita se rem habere , neque id negari posse sine blasphemia , vidimus exemplo Divitis Evangelici , ad *flamas & tormenta damnati* ; & quidem ante supremum Judicium , quia vivere adhuc super terra pergebant illius fratres . Neque fecus sensere antiqui Patres . Præterea si Improbos sine mora pleçit debitis poenis divina Justitia : quicumque rite rationari novit , necesse est , simul agnoscat . Probos quoque sine mora præmio & gloria donandos a Deo , Mensura hæc , & non alia , infinitam illius Bonitatem decet ; & præcipue quia *misericos Deus paratior est ad Remunerandum Bonos , quam ad Punendum Indignos* , uti scribit Auctor Operis Imperfecti in Matth. homil. xxv. Deus quippe *dives est in misericordia* , Ephes. 11. 4. atque is ad nos venit , ut ostenderet *divitias gloriae suæ in vasa misericordiæ , quæ preparavit in gloriam* , Rom. ix. 23. Itaque injuriam incaute Deo inrogat , qui illam sibi fingit ad penas omnium atrocissimas a Malis exigendas velocem ; ad præmia vero , toties servis fidelibus promissa , tardum & reluctantem , ut jam Mille & Septingenti fluxerint Anni absque præmio , immo in plura adhuc Sæcula Retributio procrastinetur .

#### Theorema Secundum .

Ad secundum quod attinet , ubi constat testimonio veterum , feri sine cunctatione ad coelestia gaudia Animas Martyrum : fateri cogimur , evanescere prorsus Burneti somnia , claudentis ostia quæque Coeli ferreo repagulo , & contendentis , ea dumtaxat referenda , non in universali Judicio Christi , sed Mille Annos post ipsam Judicium . Et profecto jam vidimus gloriosos illos Athletas *ante Thronum Dei , & in Conspectu Agni amictos stolis albis* . Quod si pro Christi nomine mortem generose appetentibus a S. Stephano ad nostra usque tempora patet Coelestis Aula : nulla superest causa , cur non & reliquis Justis ad beatissimas sedes illas apertus sit aditus . Et quidni ? De Martyribus ait Dominus Matth. V. 10. *Beati , qui persecutionem patiuntur propter justitiam , quoniam ipsorum est Regnum Cælorum* . Matth. x. 32. *Omnis ergo , qui confitebitur me coram hominibus , confitebor & ego eum coram Patre meo* . Et Marc. viii. 34. *Qui perdidit animam suam propter me & Evangelium , salvam faciet eam* . At ille idem Dominus de reliquis Justis inquit Matth. V. 3. *Beati pauperes spiritu , quoniam ipsorum est Regnum Cælorum* . *Beati mundo corde , quoniam ipsi Deum videbunt* . Et in Apoc. xiv. 13. *Beati , qui in Domino moriuntur* . Opera enim illorum sequuntur illos . E Jacob. 1. 12. *Beatus , qui sustulerit tentationem ; quoniam , quum probatus fuerit , accipiet coronam vitæ , quam repromisit Deus diligentibus se* . Cedo locum aliquem sacrarum Literarum , ubi a Martyribus distinguatur fors reliquorum Justorum , ita ut hisce , & non illis , Remuneratio expectanda sit post enormes illas moras , quibus illorum spem irridere videtur eruditio Burneti . Nullum